

66



Dis. Ausg. 11

Ausg. v. 1548 vith. 76 3876, 40

M



Triplex est, ut communis fert sententia, Formula Interim: 1.) Ratisbonensis
 2.) Augustana 3.) Lipsiensis. Ad 1.) quod attinet, auctoritate Ferdinandi
 Regis Rom. ad lites, circa Religionem exortas, componendas 1540. Hagarsae
 Colloquium inter quosdam Protestantium et Romanensium Theologorum
 institutum fuit, quod Wormatae continuatum, tandem 1541. Ratisbonam
 translatum fuit. atque eo quoque tempore Formula haecce lucem aspexit,
 eo comparata, ut pax atque concordia inter Protestantes ac Romanenses
 saniretur. Autorem huius Formulae Ratisbonensis alii perhibent fuisse
 Joan. Cochlaeum, alii Mart. Bucium, alii Joan. Gropperum, alii denique
 Georg. Wicelium. Cum autem haec Formula Ratisbonensis utrique parti
 displiceret, affectu caruit. Vid. Camerarius in Vita Melanct. pag. 196.
 2.) Augustanum Interim concinnauerunt Julius Pflug, Mich. Sidonius
 (sive Mich. Held, Episc. Sidonius) et Joan. Agricola. Vid. Jo. Godofr.
 Unger Schediaσμα de Jo. Agricola; D. Loescheri histor. Mos. P. II. Libr. 3.
 cap. 3. pag. 30. Oslandri Epit. hist. Eccl. Centur. XVI. pag. 497. Burgeri
 Anindrosolung von Augspurgischen Confess. C. 3. et 4. et omnino Magdr-
 bingischer Jubelbuch im fünfzigsten Nochruff pag. 49. sq. 3.) Interim
Lipsiense ex Formula illa Augustana exatum est. Cum enim
 Carolus V. Imper. Mauritium Saxoniae Electorem urgeret, ut Augustanum
 illud Interim acceptaret, hic suarum ditionum Proceres cum Theologis
 quibusdam d. 22. Dec. 1548. Lipsiam convocavit, ut hac de re deliberant.
 Aderant Phil. Melch. Bugenhagen, P. Eberus, et Georg. Maior, quibus
 etiam Jo. Pflingerus associabatur. Ab his itaque Formula quaedam
 concinnabatur, in qua plurimi Ecclesiae Romanae ritus pro adiaphoris
 declarabantur, qui adeo retineri aut iterum introduci possent et. inde
 bellum adiaphoristicum in Ecclesia nostra exortum, donec per Formulam
 Concordiae prorsus finiretur. Formula haecce Lipsiensis alias dicebatur:
 Trügelyß des Sautags zu Eizzig, id. intuitu Augustanae, novum
 itemque parvum Interim. Conf. Bieks Dröyffbuch Interim.

De hoc libro rarissimo, nempe Interim Augustano, ~~per~~ edito latine simul
ac germanice Moguntiae per Iwonem Schoeffer 1549. in folio, vid. Theoph.
Sinceri Librorum nonnisi veterum rariorumque Notitia historico critica.
Austro Band auf das Jahr 1747. pag. 232. Johann Adam. Virts Schriftfayrb Interim
Erzigig 1721. in 8. pag. 13. — 132. Saligh Hist. August. Confess. pag. 570. fgg.
Rechenbergii Dissertatio, volumini 1. Part. 2. Dissert. politic. inserta.

005
H

FORMVLA RE=

FORMATIONIS PER CAE-
SAREAM MAIESTATEM

*Statibus Ecclesiasticis in Comitibus Augustanis ad de-
liberandum proposita, & ab eisdem, ut paci pub-
licae consulerent, & per eam Ecclesiarum, ac
Cleri sui utilitati commodius provide-
rent, probata & recepta.*



Christo Auspice,

PLVS VLTRE.



Cum Gratia & Præuilegio Imperiali.

MOGVTIAE;
Excudebat IVO SCHOEFER.

Hier Aug. 60
Text vorw. in: Ausgang, Das fröhenste Inwend. die
#ornille neformieren.

Fv 3879

Ein Gant & Thungio Inortat.
MOGNVIAE
Exordat IVO SCHORRE

(1548)





CAROLVS Quintus, Diuina
fauente Clementia, Romanorum Imperator Au-
gustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusq; Sici-
liæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiae &c. Rex
Archidux Austriae, Dux Burgundiæ, Brabantiae &c. Co-
mes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis &c. Vniuersis & singulis no-
stris & sacri Romani Imperij Electoribus & Principibus Ec-
clesiasticis. N. Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Prælatiis, cu-
iuscunq; gradus, dignitatis & præminentiae existant. Gratiam
nostram & omne bonum. Venerabiles Electores, Principes, &
Consanguinei nostri Charissimi, ac Honorabiles, deuoti, dilecti.
Gratissimum nobis fuit, placuisse Dilectionibus uestris, & uobis
conceptam Reformationem, ex qua disciplinam Ecclesiasticam,
multis partibus deformatam, pristinae dignitati ac nitore restituere
pro uirili uestra statuistis: cupientes ea parte sollicitudinis, quam
suscepistis à manu Domini, afflictis Imperij rebus succurrere, &
omni studio ac diligentia, collapsam penè Religionem erigere, ac
confirmare. Quam uestram uoluntatem, egregiam sane ac piam, ut
perspectam ante habuimus, & nunc libenter agnoscimus, ita quoq;
deinceps in ipsa rerum administratione operam uestram futuram
strenuam ac diligentem nobis pollicemur. Ideoq; ne pius hic exer-
cendæ Reformationis calor longa temporis dilatione refrigeretur,
ualde nobis probatur, quod in hoc ipsum de celebrandis Synodis
Dioecesanis, ad festum Diui Martini diem proximum constitu-
istis. Nam Prouinciales ut ante Quadragesimam omnes absoluan-
tur, uidetur omnino necessarium, quod erit facile ijs, quibus Prouin-
ciæ non sunt amplæ, ijs uero quorum Prouinciæ latius patent, non
ita difficile, si Suffraganei, & quos conuenit interesse, in tempore
admoneantur, & conuocentur. Eam uero moderationem, quam
quibusdam locis adhibendam esse censuistis, quæ iam ipsi Reforma-
tioni apposita est, nobis quoq; est uisum, & rerum ipsarum condi-
tioni, & temporibus his conuenire. Quod uero petitis, ut literis
nostris agamus cum summo Pontifice, ut se ad progressum huius o-

A ij peris

peris sancti ac necessarij, aliquot Reformationis locis accommodet illis uidelicet, ut Coadiutores qui examine explorati, indigni deprehendantur, summoneri possint, ut Beneficiorum & Episcopatum pluralitas refrenetur, ut Præposituræ, & aliæ quædam Dignitates, Sedi Apostolicæ reseruata, ad Articulum illum Reformationis reuocentur, qui statuit non nisi idoneos & examine probatos ad eiusmodi Dignitates esse admittendos, ut locorum Ordinarij corruptos mores reformare, et excessus corrigere possint. Non obstante exemptione, aut priuatis personis, aut Capitulis Ecclesiarum per Sedem Apostolicam concessa, alijsq; nonnullis. Nos quidem quoad nostra fieri poterit, diligenter agemus cum ipsius Sanctitate, ut in re tam iusta & necessaria, officio suo defungi uelit. Data in Ciuitate nostra Imperiali Augusta Vindelica, Die nono Mensis Iulij, Anno à natiuitate Domini Milesimo quingentesimo quadragesimo octauo, Imperij nostri uigesimo octauo, & Regnorum nostrorum trigesimo tertio.

CAROLVS.

*Ad Mandatum Cæsareæ &
Catholicæ Maiestatis pro-
prium.*

V A: Perrenot:

Io: Obernburger.
subst.

FORMVLA RE-

FORMATIONIS PER CAE-

saream Maieſtatem Statibus Ecclesiasticis in Comitijs

Augustanis ad deliberandum exhibita, & ab eis-

dem probata ac recepta.



Tabusus & scandala (propter quæ Deus iratus seueriter adeò Ecclesiam suam castigat) tollantur, reformenturq; Clerus et populus iuxta sacros Canones, traditiones maiorum, & sacrae scripturae normam, (quantum eius per hanc tempestatem fieri potest) donec Concilium generale dissidijs & abusibus modum ponat, inprimis necessa-

*Lectum Augustæ
Vindelicorum. 24.
Iunii, Anno 1648.
pro Statibus
Imperij Ecclesi-*

rium est, ut redintegretur repurgeturq; ordo Ecclesiasticus, quo confuso, discreto & incerto, tota Ecclesiae facies confusa est, & varijs iactatur modis.

DE ORDINATIONE ET

electione Ministrorum Ecclesiae.

Priusquam admoueaturs aliquis sacris Ordinibus, diligenter inquirendum est de fide, de moribus, de scientia, & ætate ordines petentis.

De fide quidem propterea, quòd qui rectam fidem non tenet, ad fidei Sacramenta iure admitti non potest. Itaq; diligenter ordinandus examinari debet, de hæresibus hoc potissimum tempore iactatis, an in articulis hac tempestate controuersis, hoc sinceriter credat, profiteatur, & semper retinere uelit, quod Romana, Catholica, & Apostolica tenet Ecclesia. Nam de sepultis hæresibus, & nusquam emergentibus inquirere specialiter operæpretium non videtur. Expedit tamen simul explorare affectum, quo ducatur ad gradus Ecclesiasticorum Ordinum petendos, & an propositum eius pium, sanctum & firmum sit.

Ex Conc. 11. To-
let. Cap. 10.

A iij

Mores

FORMULA

Mores autem constare, et probari debent, fideli ac certo testimonio Parochi, Præceptorum & probarum virorum, apud quos maiorem uitæ partem ordinandus exegit, cum beatus Apostolus requiratur, ut habeat testimonium bonum ab eis etiam qui foris sunt, & sit sine crimine, irreprehensibilis, iustus, sanctus, sobrius, continens, pudicus, prudens, modestus, benignus, ornatus, non superbus, non litigiosus non iracundus, aut percussor, nec vinolentus, aut turpis lucri cupidus &c.

1. Timoth. 5.

In conc. Romæ
no sub Hilario
Papa canone. 3.

Scientia saltem explendis ministerijs, ad quæ ordinatur, sufficiens, constare debet non titulis, quos mercatus sit quispian in Gimnasijs, aut ab alijs dignitatum & titulorum venditoribus, sed diligenti eius examinatione.

In Con. Neocæ-
sar. can. 11.

Rigorem Canonũ
de etate ordinan-
dorum temperat
necessitas, Gelasi.
in epist. decr. ad
Episcop. Lucan.

Licet autem Canones antiqui statuerint, ut ante Trigesimum ætatis annum nemo in Episcopum, uel Presbyterum ordinetur, ministrorum tamen inopia, post tam latam huius ordinis stragem, hodie postulat, ut quia alioqui dignus est, in anno uigesimo quinto ab hoc ordine non repellatur.

Brutior. & Sicu-
lorum.

Dist. 51. tantis Da-
niel.

1. Timoth. 5.

In his omnibus solerti cura aduigilare debent Episcopi, Nam ad illos præcipuè pertinet ordinandorum examinatio, dicente Apostolo, Manus nemini cito imposueris: Aut si per valetudinem & causas, Deo iudice (cui sunt ordinationum suarum daturi rationem) dignas id nequeant, curent saltem per idoneos Vicarios, & viros pios, sacramq; literarum, Canonum & Traditionum Ecclesiasticarum peritos fieri, ne spectacula tantum inquisitionum ædantur, aut testimonia subornetur non legitima, nec idonea, aut superficialis tantum & perfunctoria fiat examinatio, sed diligens & seria, cum proclamatione præcedente ad plebem Parochiæ, ubi ordinandus habitat, si commodè fieri possit, nullusq; sit ab examine illo liber.

Ex conc. 4.

Carth. cap. 22.

Ordinatos in dig-
nos absq; examine
Ecclesia abijcit.

Vide can. 9. Con-
cilij Nice & eun-
dem allegatum in

6. Concil. Car-
thag.

Ad Episcopatum assumi nemo debet, nisi sit Sacerdos, aut promittat se velle gradus, quos nondum habet, omnes in proximis Ordinationibus absq; fraude, dilatione, aut tergiuersatione suscipere.

Dist. 60. Nullus in
Episco. Ibidem

Nullus in Præpo.

Ad

REFORMATIONIS.

2

Ad praelaturas soli digni, atq; idonei designandi sunt, & admittendi. Qui idonei sint, examinatio probabit, si tales inueniantur, ut eorum comparatione, illi quibus præficiuntur, grex meritò dicantur.

Dist. 60. Nullus
in Episcop. Ibi-
dem. Nullus in
Præpo.

Ad Ecclesias Parochiales nemo prouehatur, nisi sciat & uelit populum docere, & uerbum Dei pro captu suorum prædicare.

Episcopi & Archidiaconi designatos siue per electionem, siue per collationem non prius inuestiant, nec ad Ecclesiæ munera subeunda admittant, quàm exploratum ipsis diligenti examine sit, eos esse idoneos, & uocationi suæ pro uiribus se satisfacturos polliceantur.

Nulla pro examinatione exigatur pecunia, cum ad hæc tam necessaria officia habeant Episcopi, & ad quos examinatio pertinet, ampla satis stipendia.

In eis quoque, qui ad Ecclesiasticas Dignitates, Curas, uel Beneficia, per Coadiutorias, aut resignationes continent, eadem cura, quæ in electione & Collatione exigitur, est adhibenda, nec recipendi aut admittendi sunt huiusmodi homines, nisi examinatione præscripta comprobentur idonei, quales si non fuerint, qualecunq; sit resignatum illud Beneficium, uacabit, & adsciscendus erit alius in reiecti locum.

DE ORDINVM ECCLE- siasticorum officijs.

CVM duplex sit potestas, una Ecclesiastica, alia temporalis, quæ longo distant interuallo, Episcoporum Germaniæ pars maxima, præter Ecclesiasticam, etiam temporalis præditi sunt. Est autem præposterum, & uocatione eorum indignum, res temporales spiritualibus præferre, & rebus secularibus sedulò intentos eos Principes tantum agere, curam uero Ecclesiasticam omnem reijcere in Vicarios, dicen-

F O R M V L A

Actor. 6.
Ex Con. 4.
Carth. cap. 15.

dicentibus Apostolis: Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Ita ergo eis uita instituenda est, ut appareat eos Episcopos potius, quàm Principes esse: & cælum potius, quàm mundum hunc cogitare.

Actor. 20.

Est autem proprium Episcopi officium, regere Ecclesiam Dei, quam sibi Christus acquisiuit sanguine suo, ad quod pertinet pascere oues eius cibo uerbi Dei, Sacramentis, & Exemplis, Confirmare Baptizatos, examinare, et ordinare Ecclesie Ministros, Synodos celebrare, Visitare suam prouinciam, & lupos ab ea abarcere. Quæ, si fidelis & bonus pastor est, per se potius, quàm per Vicarios, quantumuis pios & doctos, pro ædificatione Cleri, & populi sui obibit, nisi aliqua legitima causa impediatur.

Debet igitur omnium ouium suarum habere curam, sed præcipuè cooperariorum, per quos regit oues & dispicere, ut suum quisq; munus fideliter in Ecclesia exequatur. Etsi enim omnes oues nosse supra naturæ vires sit, Compastores tamen, & in opere Dei Coadiutores suos ut cognoscat, est opus, ut sciat quomodo præsent, quid doceant, quomodo Traditiones & Ritus Ecclesiasticos seruent, quomodo uiuant, ædificent, an corrumpant gregem. Ex his enim pendet disciplina, & salus populi. Sic poterit desides, ac torpentes arguere, inutiles remouere, & corruptores, perniciosos, & scandalosos etiam plectere.

Ioan. 10.

Hebræ. 13.
Roman. 16.

Pertinet quoq; ad Episcopum sollicitè inuigilare, ne Lupi gregem inuadant, quibus sese obijcere pro grege fortiter & strenuè debet eosq; abigere, ac persequi, nec ferre ut doctrinis nouis & peregrinis, aut per dulces sermones corrumpantur, atq; à veritate abducantur oues, pro quibus Christo daturus est rationem.

Archidiaconi, quos alij Chorepiscopos, alij Archipresbyteros, alij Decanos appellant rurales, quocunque censeantur nomine, in partem sollicitudinis constituti sunt, & vocati, ut certæ regiunculæ Pastoribus seu Parochis, ne in officio negligentes sint superintendant. Horum & Synodis Episcopalibus interesse, referre, & exponere illic suæ
portiuunculæ

portiunculæ statum, & unà cum Patribus consulere, ac discernere, Synodalia Decreta, & sententias, placita quoque Ex Epist. decreti Leon. ad Germaniam & Galliam Episcopos de Chorepiscopis. Episcoporum publicare curæ suæ Parochis, & exequi, & præter Confirmationem ac Ordinationem, & propria solius Episcopi munera, ea omnia in suo præstare Territorio, quæ in Diocesi Episcopus, cuius sunt oculi, sollicitè inuigilantes, ut si quid aduersus fidem, pietatemq; Christianam emergat, Episcopo idipsum, ad quem cura prima pertinet, significant.

Parochi, dispensatores sunt verbi Dei, & Sacramentorum, qui ut fideles inueniantur, debent frequenter populum de his, quæ ad fidem & religionem nostram pertinent, docere, eosq; instruere, ut norint quid credere, & quomodo conseruari, ac uiuere in sua quisque vocatione debeant. Administrare quoque debent Sacramenta, & eorum gratiam mysticam exponere, arguere eos quorum publica sunt peccata, publicè: occultè uerò delinquentes, in priuata Confessione, & in omnibus se non segnes, aut cœcos speculatores exhibere, ne sint uelut canes muti, non ualentes latrare, Sed quasi tuba annuncient populo peccata, & ad conuersionem & pœnitentiam eos adducant. Incorrigibiles uero & præfractos referre debent ad Maiores, uel publica satisfactione curandos, uel ab Ecclesia profcindendos. 1. Corinth. 4. Esaiæ 56. Esaiæ 58.

Debent quoque Parochi paruulos (quæ est pulchra Ecclesiæ portio, & apta Disciplinæ pietatis) non negligere, Sed eos, ac rudes quosque suæ Parochiæ, certis temporibus instruere & catechizare, ut discant Symbolum, Precationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Decalogi præcepta. Aut certè habere Sacellanum, aut Pædagogum, per quos officia ista minora præstent, Vt uero totam curam in Mercenarios reijciant, Canones non permittunt.

B DE

FORMULA
DE OFFICIO DECANI,
& Canonorum.

IN Collegijs, vbi diuersi sunt ministrantium gradus & Ordines, Decanorum est exemplo suo præcedere, verbo monere & prouocare Collegij sui Clericos & familiam, vt suæ quisque functioni gnauiter incumbat. Et eo, ad quem destinatus est loco, ministret in diuinis, & Collegij rebus, neq; enim vt torpentes vacent, sed ut muneri suo satisfaciant, & vitam ducant appellatione sua dignam, constat Clericos Ordinari. Debet itaque Decanus continere Clericos, in decenti, ac ordinata officij diuini persolutione, in vitæ & morum honestate, in religioso habitu, in disciplina, in electione & studio sacræ scripturæ, quo Psalmodiæ, preces, officia diuina, & Ceremoniæ statis horis ad laudem Dei, & populi ædificationem, secundum instituta Patrum, digna Maiestate persoluantur. Inobedientes vero & ebriosos, luxui indulgentes, Aleatores, Percussores, Scottatores, & officium negligentes, publicè arguere, seueriter corripere, sacris abarcere, Multare etiam prouentu & distributionibus, pro excelsum grauitate, iuxta potestatem, quæ de iure & consuetudine Ecclesiarum funguntur.

Ex Con. Lateran. can. 7.

Scolasticorum est docere indoctos, eosq; in his, quæ ad pietatem & cultum Dei pertinent, erudire, aut curam hanc procurare. Præsertim vero iuuentutem regere, eisq; idoneos ac probos præficere Pædagogos. Sint scholastici viri graues, qui iuuentutem Ecclesiæ ministerijs destinatam in potestate habeant, & curent ut sub eorum disciplina, doctrina, pietate, & morum honestate imbuantur, & caueant, ne emancipent, aut ad Capitula tales præsentent, quos propria vitia reijciunt. Sic cantoribus est, modum dare eis, quæ in Choro canuntur, ac intonare, sic Thesaurarij, sic Succentores, sic Vicarij, & reliqui Ministri omnes, debent suo quisque loco, quod eis ex nomine, vel officio, vel præsentium mandato incumbit, diligenter obire, quo decenter ac ordinatè omnia fiant inter eos.

Canonici

Canonici omnes debent in his, quæ ad cultum diuinum, obseruationum Canonum, et mores bonos pertinent, Decano suo humiliter obedire, diuinis omnibus interesse, modestia, grauitate, pietate, Eleemosynis ac bonis exemplis populum ædificare. Non deambulare in templo, diuinorum tempore, nec confabulari, oculos habere pudicos, incessum minimè fastuosum, Ecclesiasticum officium, cuius gratia beneficium percipiunt, vltro, promptè, & reuerenter persoluere ac adimplere, Vt dum ore cantant, cantant & mente, Et ita ne videantur tanquam conducti Mercenarij trahi, & pecuniæ potius quàm Deo seruire, & magnarum distributionum tempora anxie, minorum negligenter obseruare, ac si stipendium præcedere officium debeat, & non potius sequi.

Quo uero doctis & claris viris Collegia orrentur & vigeant, Decanus & Collegium studiosos aliquos, qui spem de se bonam præbent, debent mittere ad Academias & Vniuersitates celebres, & dare studijs eorum sufficiens tempus, ac interim eos habere pro præsentibus in Collegio, aut sanè quantum pro uictu & libris eis sufficiat, suppeditare. Qua in re si negligentes fuerint, poterunt Episcopi auctoritate ad hoc compelli. Curent tamen Ecclesiarum Prælati, de ijs qui studiorum causa absunt, diligenter cognoscere, & si compererint eos negligentes, aut peruersis moribus deditos, sumptus antea dari consuetos, eis subtrahant, & in alios melioris spei iuuenes, eosdem transferant.

DE HORIS CANONICIS & Psalmodijs.

IN cultu diuino post Missæ sacrificium in Ecclesia primas tenent preces Canonicae, in horas septem distribute, De celebrat. Missæ sac. can. Presby.
B ij ad

F O R M V L A

1. Corinth. 9.

ad quarum obseruantiam, qui maioribus Ordinum gradibus sunt initiati, seu de beneficijs gaudent Ecclesiae, praecipue obligantur, quo preces, laudes, & gratiarum actiones Deo pro Ecclesia, cuius sunt Ministri, cum grauitate & decentia modulentur atque persoluant, & in lege eius nocte dieque versentur. Ideo enim de Altari edunt & participant, quia Altari seruiunt. Praeposterum est autem, & tam naturae quam dignitati ac institutioni cultus illius diuini contrarium, velle curam hanc ad postremos tantum Ordines aut conductitios Succentores reijcere.

Ex con. Agathen. can. 50.

Ex con. Mileuitano cap. 12.

Forma autem cantionum & precum illarum quondam ab antiquae Ecclesiae Patribus, & postremo à beato Gregorio, alijsque Ecclesiae Rectoribus purior tradita, ordineque praescripta est. Verum ad hanc temporum uitio, multa inepta, apocrypha, parumque ad sincerum cultum pertinentia, non negamus irrepisse. Quod ipsum & Breuiarijs (quorum usus permissus est, propter eos, qui iustis impediti negocijs, choro nequeunt interesse) usu uenit, quae operae pretium erit, ut à uiris doctis & pijs (quos Episcopi interim in sua Dioecesi ad hoc dare debeant) emendentur, & reducantur ad puriorem & antiquiorem ritum, nec tamen modus, quem nunc Ecclesiae in precibus Canonicis seruant, mutetur, sed in locum eorum, quae emendatione indiguerint, meliora & puriora reponantur, quo sancta, autentica, & officio diuino digna sint omnia, quae horis illis recitantur. Episcopis uero cura haec relinquenda uidetur, ut de hac re diligenter cogitent, si quid forte de Sanctorum Historijs in eum usum publicari possit, quo Ecclesiae Germaniae interim recte in lectionibus Matutinalibus uterentur, donec ea de re per Concilium generale statuatur.

Expediret ad haec frequentes earundem precum & Psalmorum in vna die repetitiones, memorias item quae suffragia vocantur, quibus ad fastidium usque plerisque in locis Sacerdotes grauantur, tollere, pro prolixitas neminem

ab

REFORMATIONIS.

ab illis quæ secundum feriarum & temporis cursum, dicenda erant, deterreat, aut ad ea impellat, quæ de Sanctis, breuiore quidem compendio, at fructu nonnunquam minori, dicuntur. Horæ tamen Canonice integrè permaneant, sublatis tantum accessionibus quibusdam, quæ minus necessariae videntur, idc̄q̄ auctoritate ordinaria Episcoporum, ita tamen ut voluntas fundatorum firmæ permaneant.

DE MONASTERIIS.

Eò maximè dolendum est, Monasteria multa in Germania excisa, & euerfa, quædam etiam spontè deuiasse ab instituto, & uix pauca restare, ut olim, integra, quòd Monasteria apud Patres nostros officinæ erant, cultus diuini, & pauperum quædam Cellaria, in quibus vnus voti ac professionis homines certis horis die noctuq̄ Deum Psalmidijs & laudibus colebant, horas intercalares orationi, lectioni scripturarum sacrarum, meditationibus rerum coelestium, & alijs studijs pijs & honestis dabant, Ieiunijs se castigabant, & quod supererat, erogabant in pauperes, quibus sanè uis ad Euangelicam perfectionem contenditur: Hinc non modo leges, Canones, & ipsius naturæ iura, uerum etiam tam necessitas publica quàm Monastici instituti Sanctitas efflagitant, ut refoventur, & quantum fieri potest, reparentur & conseruentur.

Igitur Monasteria cuiuscunque sint ordinis, quæ ab institutis suis degenerarunt, debent secundum Regulas, quas professi sunt, absque omni personarum respectu, à Visitatoribus suis reformari, & Monachi in obedientia & religione sui Ordinis contineri. Repugnantes uero, & Reformationis impatientes, sine exceptione ad eam subeundam cogi. Quod si Visitatores ad hoc non sufficiant, debent aut Ordinarij, aut Magistratus, uel Principis opem implorare.

*Ex Con. Aureliana
nen. Cap. 21. Et
habetur 18. q. 20
Abbatibus pro huius
militate.*

B iij

Ad

FORMULA

Ad hæc debent Monasteria opulenta restaurare apud se, intermissa studia, præsertim sacrarum literarum, vt habeant Monachi quotidiè lectionem aliquam sacræ scripturæ illustratricem, qua deuotionem suam alant, seque ad pietatem continuam exercent, & se ad prædicationem verbi Diuini aptos efficiant. Vbi vero pauci sunt Monachi, iidemque inopia laborant, debent nihilominus vnum vel duos mittere ad aliud Prouinciæ suæ Monasterium, vbi scholæ restitute sunt, qui in literis sacræ simul & in religionis obseruantia, illic instituantur & proficiant.

Non exercentur Monachi rebus prophanis, sed in locis vbi se Deo deuouerunt, permaneant, nisi fortè ad concionandum, uel sacra peragenda, aut ad aliud Monasterium à suis Prælati mittantur, aut ad curam animarum, ab Ordinarijs locorum euocentur, de consensu Prælatorum suorum, sub quorum obedientia nihilominus manere debent, qui possint eos corrigere & reuocare. Sic tamen ut Prælati ordinum, Episcopis in hac necessitate non desint. Tempore uero quod eis à diuinis & lectionibus reliquum est, semper pijs & honesti aliquid agant, ut eos semper inueniat Diabolus occupatos.

Non debent item Monachi, quàmuis opulenti, & Regalibus dotati munificentijs, ociosos & vanos facere sump-
tus, nec familiam superfluum, nec equos, ad fastum & pompam potius quàm ad necessitatem, Principum more nutrire, magisque secularem quàm religiosam ducere uitam, sed
in humilitate uiuere frugaliter, & quæ ultra necessitatem supersunt, in pauperes & educationem studiosorum, quo possint Ecclesiæ Christi olimusui esse, utiliter expendere. Idque cum authoritate Ordinarij loci, si illis sint subdita Monasteria, aut habeant ius visitandi eadem, In cæteris fiat hoc per eorum Prælatos.

At vbi per hanc tempestatem vel excisa sunt Monasteria,
vel

vel exhausta Monachis & deserta, debent Visitatores initio duos aut tres benè institutos, ac probæ vitæ Monachos illò mittere, qui Monasticen rursus introducant, & quantum fieri poterit, omnia restaurent.

Monialibus continentiam professis nequaquam Monasteriorum suorum septa egredi licebit, sed in ijs latere debent, ac soli Deo pudicitiae amatori, cui se consecrarunt, quemq; repudiatis huius seculi amatoribus præoptarunt, se conseruare illibatas, nec item patere debet eis virorum conspectus, aut viris permitti, ut Monasterium ingrediantur, nisi ineuitabilis necessitas requirat.

De statu regula. in 6. cap. periculoso.

Ex con. Epauanen. Can. 38.

Cum non detur autem eius suasmet res foris procurare, oconomum sibi deligere poterunt fidum, frugalem, & honestum, qui debeat eis & Visitatori quater in anno, & quoties poscitur, reddere negociorum suorum rationem. Quod si inutilem eum, aut grauem, vel infidum experiantur, poterunt eo amoto, alium surrogare.

In Sex. de statu regul. c. Porro ne Moniales.

Quæ uero continentiae studium sectantur absque voti professione, & vitam in Collegijs ducunt religiosam, quales vocantur Canonissæ, etiamsi non habeant (quam tamen decentissimum esse habere) mensam communem, sed suam quæq; peculiarem, debent tamen commune habere dormitorum ne pudicitiae insidiatori Satanæ detur occasio ad incontinentiam tentendam. Debent quoq; à nimis exquisito & procaci habitu abstinere, nec seculariter comptis incedere vestibus excultæ, sed in habitu modesto, mundo & casto, ut sint earum Monasteria scholæ pudicitiae, & virtutum, in quibus filiae Nobilium discant non lasciuire, non superbire, sed Deum timere, orare, & pijs assuecant exercitijs, ac moribus bonis, ubi voluerint, nupturæ in Domino. Talia autem Collegia, sicubi in his virgines ob liberiores uitam famam suam in periculum adducant, per Superiores & Episcopos reformatur.

Ex con. Mogunt. can. 13. Ex conc. Roma. sub Eugenio 2. Canc. 3.

1. Timoth. 2. 1. Petri 3.

DE

FORMULA
DE SCHOLIS ET VNI-
uersitatibus.

Scholæ seminaria sunt, non Prælatorum tantum & Mi-
nistrorum Ecclesiæ, uerumetiam Magistratum, & eo-
rum qui consilijs suis Respublicas gubernant, quæ si ne-
gligantur, aut deprauentur, necesse erit, & Ecclesias, & Res-
publicas inde periclitari, propterea de earundem instau-
ratione magna cura habenda est.

In primis igitur, ubi extant fundatæ autoritateq; Or-
dinaria probatæ Vniuersitates seu Academiae, debent de-
stinata Præceptoribus & studiosis beneficia & stipendia,
Priuilegia item, & immunitates, atq; exemptiones à uecti-
galibus, exactiõibus, collationibus & oneribus publicis,
tam discipulis quàm Præceptoribus, ante omnia tuta cõser-
uari, nec ab ullo hominum quantauis potestate sit prædi-
tus, infirmari, infringi, aut alio conuerti, quàm destinata
sunt. Quod si Prouisores Beneficia huc destinata, in alios
cõtulerint, irrita debet haberi, & esse Collatio. Et qui dam-
num Vniuersitati intulerint, ad satisfactionem compelli.

Curandum est in singulis Academjs, ut non nisi proba-
ti Autores in artibus & disciplinis, auditoribus prælegan-
tur, atq; ut Doctores & Magistri, qui doceant iuuentutem,
probi sint, Catholici, & de Religione Christiana benè sen-
tientes.

Ad hæc qui in numero Studentium uolunt haberi, &
priuilegijs Vniuersitatum frui, ac gaudere, non debent
priuilegijs & libertate sua abuti, sed sub obedientia & dis-
ciplina uiuere Rectoris, qui eos delinquentes, & statuta
prætergredientes, præsertim rixantes, seueriter corripere,
& pro modo delicti plectere debeat.

Nulla re magis Ecclesiæ, publicæq; utilitati consulere-
tur, quàm si summus Pontifex, & Collatores Ordinarij, se-
cundum Concilij Basiliensis placita, Academjs puriori-
bus & incorruptis potestatem facerent, significandi eis su-
binde viros literatos, ad regendum Ecclesias idoneos, quos
ipsi

ipsi quibuscunque alijs minus idoneis in Collatione Beneficiorum & praesertim Parochialium Ecclesiarum praerent, modo tamen personaliter illi non detractarent residere.

Vbi fundatae non sunt, debent singula Collegia secundum Decreta Consilij Lateranensium, ut parua fuerint uel magna, ita Scholas paruas uel magnas apud Collegia erigere, quibus praeficiant Magistros & Pædagogos incorruptae vitae, à quibus tam pietatis Christianae prima principia, quàm rudimenta literarum incontaminata adhuc, & quorumlibet studiorum capax iuuentus hauriat: atque ubi multus est adolescentum numerus, in classes diuidi poterunt: Debet autem eis praelegi hoc tantum, quod innocentiae illius aetatis conueniat, Væ enim ei qui scandalizauerit unum pusillum, qui in me credunt, ait Christus. Idcirco sedulo curandum, ne pralegantur eis libri obsceni, suspecti, aut contagiosi, eorum, qui perfidiae suae uirus, religionisque & pietatis odium tenerae Iuuentuti suis scriptis, quae per hanc tempestatem ædidere, instillant.

Sed ubi Collegia non sunt, debent in singulis Ciuitatibus esse Scholæ, quarum Magistri boni, honesti, & docti sint.

Præter Pædagogia uero, habeatur in Collegijs Theologus, qui certis horis interpretetur Biblia, ac de re Theologica doceat iuniores Canonicos, Vicarios, & alia Collegij membra, ubi quisque ad lectionem, suae professioni & instituto congruentem, tenebitur comparere. Huic uero quomodo, & unde prouidendum sit de uictu, in Concilio Lateranensium constitutum est: Ita nimirum, ut unius Præbendæ prouentus ei, donec in docendo perstiterit, assignentur, si sufficiant, Sin minus, ut aliunde suppleatur, & tantum huic, quantum satis sit, suppeditetur.

DE HOSPITALIBVS PAU-

perum, infirmorum, & Pe-

regrinorum,

C

Sanctorum

F O R M V L A

Sanctorum Patrum constitutionibus olim sancitum fuit, ut bonorum Ecclesiasticorum pars quarta cederet pauperibus. Hinc apud Collegia, & Monasteria antiqua, Hospitalia extructa sunt, quæ nunc passim aut in usus alios sunt conuersa, aut iacent neglecta, non sine graui impietatis piaculo, Verisimile est cum Ecclesiastici, Patres pauperum haberentur & essent, fideliterq; bona commissa dispensarent, Imperatores, Reges, Principes, & locupletes homines, permotos, ut tam amplis prædijs Episcopos Collegia, & Monasteria ditarent, Debent igitur Episcopi, Collegia, & Monasteria rursus ædes illas, sicubi collapsæ sunt, instaurare: Vbi vero extant, conseruare, redditus quoq; ad eas destinatos, ac olim separatos, de quibus constat, in nullum usum alium conuertere. Qui si forsan cum cæteris redditibus, & bonis alicubi confusi sint, & hodie ignorentur, debet nihilominus ædibus illis, de omnibus ad infirmorum curam pertinentibus, ex ærario communi Monasterij vel Collegij sufficienter prouideri, idq; pro dispositione Episcopi, aut Ordinarij Ecclesiastici illius loci.

Sic etiam reliqui Ordines, qui Hospitalia habent, eadem studeant conseruare.

In eiusmodi Hospitalia recipiendi sunt viduæ & Orphani, & qui uerè sunt pauperes, & ad uictum quærendum sibi non sufficiunt, & potissimum eius loci, ubi Hospitalia illa sunt constituta, Peregrinus uero pro refectione, non in habitatione aut in pauperum illorum fraudem, patere debent.

Cæterum, sicubi Respublicæ Ciuitatum, Municipiorum, aut Parochiarum suis ciuibus aut etiam peregrinis hospitalia construxerunt, quorum sibi retinuerunt prouisionem ac dispensationem, curandum est, ut Administratores dent Prouisoribus à Communitate delectis, quater in anno rationem, ne & ista, casu simili quo illa, pereant, & pauperum res per fraudem distrahantur. Superiorum uero omnium inspectio ad uisitationem pertinet Episcopalem aut Prælatorum, quibus de consuetudine eius loci cura hæc incumbit.

D E

REFORMATIONIS. 8
DE DISPENSATIONE
verbi Dei, & officio Ecclesiasticæ.

Concionandi officium sibi assumere nemo debet, nisi vocatus, & Ordinaria Ecclesiastica potestate admisso, dicente Apostolo: Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Pertinet autem officium illud ad Episcopos & Pastores, quibus animarum cura incumbit. Iis tanquam subsidiarij Cooperatores, quatuor mendicantium Ordines ad prædicandum verbum Dei adiuncti sunt. Permissum quoque ipsis est accire ad hoc Vicarios Sacerdotes, seu Sacellanos, quorum interdum opera utantur. At non temerè debent ignotos quosque aut vagos Sacerdotes & Monachos absque Prælatorum suorum testimonijs, seu formatis, ut vocant, Canones, admittere, multo minus suspectos de fide, aut flagitiosos Sacerdotes, aut Monachos fugitivos, per quos populus eis creditus seduci ac corrumpi facilius, quàm rectè doceri, potest.

Ad verbi Dei doctorem seu Concionatorem pertinet, ut Euangelium & sacras scripturas sinceriter tractet & doceat, non secundum sensum quem prius conceptum, ipse ad scripturas attulit, sed iuxta sensum & interpretationem sanctorum, & Orthodoxorum Patrum, Ita enim nec ipse errabit, nec alios in errorem seducet. Hinc Canones suadent, Sanctorum Patrum Homelias, seu Evangeliorum enarrationes in Ecclesia recitari, in anniuersarijs quoque sanctorum Martyrum diebus licebit secundum Africani Concilij Canones recitare eorum passiones post Euangelia, si tamen certæ sunt, & à fide dignis scriptoribus proditæ.

In Concione nihil prophanum, incertum, fabulosum, aut illo indignum loco adferatur, nihil suspectum, nihil inconstans, nihil nisi quod tota probat Ecclesia, & à Maioribus acceptum est, ut sic forma seruetur, secundum præceptum Apostoli, sanorum verborum, & doctrinæ sanæ, quibus sancti Patres & Ecclesia Dei, quæ Columna est & firmamentum omnis veritatis, consueuerunt.

C ij

A quæstio-

F O R M V L A

A quæstionibus item difficilibus & perplexis Ecclesiastes abstineat, non oportet enim ad ingenij & eruditionis ostentationem prædicare, Sed vtiliter pro ædificatione populi. Idcirco debet se dimittere ad captum auditorum, & nunc Catechistam agere, nunc interpretem scripturarum, nunc vitiorum reprehensorem, nunc Doctorem Mysteriorum & sapientiam loqui inter perfectos. Omnibusq; omnia fieri ad omnes Christo lucrificandos.

Nec sit contentiosa declamatio aut rixosa (contendere enim verbis, inquit Apostolus, ad nihil vtilè est, nisi ad subuersionem audientium) sed modesta, sobria, seria, grauis, neruosa, qua potens sit exhortari doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere. Caueat quoque scurriliter calumniari, scommata & dicteria in alios iacere, suum expuere liuorem, & subsilire, in compositis moribus gesticulari, concitare plebem in absentes, Clerum vel Magistratum. Qui etiam si reprehensione dignum aliquid admisissent, non est tamen illorum causa ad plebis iudicium referenda, quin potius contra in omni concione admonendus est populus, ut pro Clero & Magistratu orent.

Subinde quoties locus oportunus incidit, facienda Concionatoribus est mentio misericordiæ, charitatis, & bonitatis Dei erga nos, quo dubitantes & anxios, ad bene sperandum & amandum Deum inflamment. Ita tamen ut etiam iustitiæ eius, qua pro benefactis cælum, pro malefactis Gehennam & æternum supplicium reddit, non obliuiscantur, quo malos à peccatis deterreant, & ad resipiscenciam, eleemosynas, satisfactiones, & opera pietatis inducant, ne sint, quales Pseudoprophetæ, de quibus apud Ezechielem dicitur: Deceperunt populum meum dicentes: Pax, pax, & non est pax, & ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum absque luto, & absque paleis, & temperamento &c.

Frequenter etiam per hanc emergentium undiq; hæresum tempestatem confirmandus est populus, Catholicæ fidei doctrina, ut suppullulantes zizaniâs uitare queant.

Hortandus

Ezechiel. 13.

Hortandus ut verbū Dei attentus audiat: Sed à Catholicis & sinceris, ne sub melle verbi Dei propinet aduersarius ei aconita. Instruendus de Sacramentis, et eorum Mysterijs, ut eis secundum Ecclesiæ traditionem, ad salutem suam religiosè utatur, vt Missæ officio libenter intersit, votis Ecclesiæ vota sua coniungat, cum Sacrificium offerente Sacerdote, ipse quoq; mortem Christi pro peccatis suis, cordis sursum eleuati manibus Patri offerat, frequenti confessione se expurget, corde mundo & auido salutarem corporis Christi cibum excipiat, diebus festis, sanctis tantum incumbat operibus: Breuiter ad omnia pietatis Christianæ exercitia ipsum instruat & formet, inculcet quoque sedulo Decalogi præcepta, eaq; explicet. Ad quod etiam proderit Catechismum sæpius relegere.

Ad postremum, & tamen ante omnia meminerit Ecclesiastes, ut exemplo Pauli castiget corpus suum, & in seruitutem redigat, ne ubi alijs prædicauerit salubriter, eosq; ad pietatem adduxerit, ipse seruus sit ventris & peccati, ac reprobus efficiatur.

DE ADMINISTRATIONE

Sacramentorum.

Ecclesia quæ sola Sacramentorum thesaurum à Christo accepit, nouit etiam verum ac legitimum eorum vsum, custoditq; substantialia ipsorum immutata, Ceremonias vero, quas plerunque significationis aut pietatis excitandæ gratia, uel ipsa instituit, aut ex Traditione Apostolica accepit, & orationes solennes, ac Ritus in administrando pro utilitate & ædificatione Ecclesiæ mutare potest & solet, quam tamen potestatem nemo priuatus sibi vsurpare debet, Sed potius sequi in omnibus receptam uniformitatem, tum ob reuerentiam atq; obedientiam, que debetur sacris Canonibus, antiquis Traditionibus, & Imperatorum pijsimorum legibus, tum ad confusionem & Schismata in Ecclesia Dei vitanda, iuxta illud Apostoli: Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei,

C iij Ne

FORMULA

Ne uero hæc tanta Dei Beneficia , quæ ad omnium salutem à Christo instituta sunt , ignorentur , aut putentur ociosa esse spectacula , nec suo habeantur loco vel etiam indignè tractentur : debet Populus in eorum administratione (ubi commodè fieri poterit) frequenter etiam in concionibus , ubi inciderit locus , doceri , quid in Sacramenti cuiusq; collatione agatur , quis sit eius fructus , quid velint signa externa , quomodo Dei virtus præsens , inuisibiliter eis adsit , quomodo etiam dignè uel indignè percipiantur , & ijs similia .

Rectius in Ecclesia Occidentali Sacramenta lingua latina quàm vernacula celebrantur , conseruatur enim Mysterijs (ut Basilius ille Magnus ait) silentio sua auctoritas atq; Maiestas . Quod autem putauit quidam omnium referre , ut Sacramentorum Mysteria lingua omnibus intellecta , peragantur , & administrentur , quo Gratia Dei , quæ illic operatur , cognoscatur ab omnibus , arbitramur hoc commodius fieri posse concionibus frequentibus , ad populi captum demissis , quàm paucis illis verbis , quibus in Sacramentorum celebratione Ecclesia utitur , iisdemq; Mysticis & sacratoribus , quàm ut à quouis è vulgo statim intelligantur . Et sanè antè uilescent vulgo Sacramenta , lingua vernacula celebrata , quàm ut suo habeantur loco , debitaq; ueneratione colantur , quippe quod ea quæ captum , ingeniumq; nostrum excedunt , attentius miremur atq; obseruemus : intellecta uero propemodum negligamus , attamen ut in Baptismo Abrenunciationes , & Professiones fidei , secundum antiquas Agendas , & in Matrimonio , sicut hæctenus consuetum est fieri in Ecclesia Catholica , consensus contrahentium , lingua vernacula requirantur , non improbamus .

DE ADMINISTRATIONE

Sacramenti Baptismi .

Quamuis orationis illæ solennes & Ceremoniæ , quibus circa Baptismum Ecclesia utitur , non sint Sacramento

Sacramento essentialia, non possunt tamen absque graui Sacrilégio contemni, nec omitti sine Schismate, aut animæ periculo, nisi facultatem eripiat necessitas. Statim enim à tempore Apostolorum cœpit consuetudo illa, quam Ecclesia huc usq; religiosè obseruauit, ut baptizarentur fideles in aqua, inuocatione nominis Christi, ad baptizandum benedicta & prius exorcizaretur, exufflareturq; contraria potestas, & signum crucis fronti baptizandi imprimere-
 tur, auresq; ei aperirentur, ad audiendum deinceps verbum Dei, & sal sapientiæ significatiuus ori inijceretur, & Diabolo per se, uel Sponsores suos abrenunciaret, profitereturq; Symbolum Apostolicum, & in pectore, ac scapulis tanquàm nouis Athleta iniungeretur, cui contra Diabolum pugnaturus, & cordis (quo creditur ad iustitiam) constantia opus est, & corporis robore, ad mandata Dei opere implenda. Ac post immersionem iam Christo incorporatus in vertice ungebatur, induebaturq; veste candida, custodiendæ innocentia signis, atq; ita præferbatur ei cereus ardens, tanquàm per tenebras mundi in luce ambulaturo. Quibus Ceremonijs significatur, quid tota vita, exercere, meditari, cogitare & operibus implere debeant Baptizati. Ideo sæpius debent hæc populo exponi, ut professionis suæ, qua Christo initiati sunt, frequenter admoneantur.

*Pontificia Ecclesie
baptizandi.*

Curandum est etiam, ut Susceptores seu Sponsores parvulorum sint proeclatæ ætatis, in fide probè catechizati atque instructi, quò non ore tantum, sed & mente ac seriò ad interrogata respondere, suum munus intelligere, & paruulos ubi adoleuerint, in fide orthodoxa (si res postulat) instituere possint. Id enim ipsorum, quam pro paruulis baptizandis Deo & Ecclesiæ faciunt, sponsio requirit.

DE ADMINISTRATIONE

Sacramenti Confirmationis.

EPiscoporum est ad confirmandos baptizatos suam Diocesim frequentius circuire, Misterij huius originē, & Chris-

FORMULA

& Chrismatis arcanum, si non per se, saltem per concionatorem idoneum, populo exponere, pro captu tamen paruulorum, ut & ipsi hinc aliquid fructus percipiant.

DE MISSAE CEREMONIJS.

Canon Missæ, quem tot iam seculis retinuit Ecclesia Dei, nihil continet quod non sit consonum ijs, quæ à tempore Apostolorum apud Altaris Sacrificium supplicata, prouinciata, uel obseruata sunt, Id quod liquet ex antiquorum veteris Ecclesiæ Patrum scriptis, in quibus ipsa Canonis verba alicui est reperire, ut prorsus sacrilegium sit, eum vel damnare, uel autoritate priuata immutare: Debet idcirco ille, quemadmodum hæctenus factum est, in Missa religiosè ac submissa uoce (quo Misterijs tam tremendis sua conseruetur autoritas) pronounciari.

Quod ad reliquas Missæ partes attinet, etsi omnes illæ nihil sint aliud quàm ad laudes Dei, aut preces Ecclesiæ, aut Lectiones sacræ, & ideo minime negligenter habendæ, tamen si quas nouas Collectas, Sequentias, Præfationes, & id genus res uel indoctas uel incertis & apocryphis historijs innixas, aut Missæ Sacrificio parum congruentes recentior ætas inuexit: Tales omnes tollendas censemus, atq; ad probatissimorum codicum fidem restituendas, Debentq; Episcopi pro officio suo huic repurgationi, adhibitis ad eam rem uiris doctis, dare operam, quo pura, emendata, certa, & solida existant omnia, quæ in sacratissimo illo officio dicuntur.

Epistolæ & Euangelia pro reuerentiâ quæ eis debetur, semper pronouncientur in Missa lingua latina, Dominicis uero & festis diebus in Parochialibus Ecclesijs plebi lingua vernacula exponantur, siue ante Sacrum solenne, siue sub ipso, nec Concionis tempore vlla Missa celebretur, qua populus ab auscultatione distrahatur: Sed neque sub Sacro solenni conuenit, ut coram populo eodem legantur etiam Missæ speciales, quibus huc, illuc populus distrahatur, auoceturq;.

auoceturq̄, ut nulli Sacro satis intendat. Verum interim non minus curandum est, ne Sacrum illum protrahatur æquo prolixus, generetq̄ potius fastidium auscultantibus, quàm deuotionem.

Organa nihil lasciuum sonent aut seculare, Sed quod ipsa etiã plebs intelligat religiosum ac pium esse. Et præstiterit Symbolum totum cani, similiter Præfationem, & orationem Dominicam, quam partem relinqui Organis, sicut magno abusu alicubi consuetum est fieri.

Nec conuenit, ut sub eleuatione sacræ hostiæ cantentur Antiphonæ ad hoc Sacrificium non propriè pertinentes, quales alicubi dicuntur de pace, de beata Virgine, de S. Sebastiano, aut alio quopiam Patrono, quæ melius à Sacro peracto cantarentur.

Et fraternæ charitatis redintegratio, & pax nobis à Christo relicta poscit, ut osculum pacis, ubi mos eius dandi exoleuit, in Missis solennioribus restituatur, Sic ut Imaguncula crucifixi Domini Pacificatoris omnium ab ore Sacerdotis, pacem populo imprecantis, ad adstantes deferatur, quam ordine, in concordiæ & pacis Symbolum osculentur omnes.

Docendus item est populus frequenter de Missæ mysterijs, ut Missam audiens uota sua sacrificanti Sacerdoti coniungat, & ad finem vsque, donec benedictionem Sacerdotalem acceperit perseueret sæpiusq̄ communice si non semper externa sumptione Sacramenti, saltem spiritualiter, desiderio fructus Sacramenti, & vnionis cum Christo. Verum interim non minori diligentia monendi sunt, ut qui peccati vinculo retinentur ligati, absq̄ absolutione & veræ emendationis proposito à Mysteriorum illorum diuinorum perceptione abstineant, palàm vero criminosi, & qui peccati certissimam occasionem dimittere nolunt, siue Sacerdotes sint siue Laici, omnino à communione abarceantur.

Similiter docendus est populus, ut quamuis in Missa piè orent pro spe salutis & incolumitatis suæ, incommo-

D discq̄

FORMULA

disc̄ temporalibus vitandis, cauendas tamen esse omnes superstitiones, quales sunt polliceri alicui è certis Missis certam fortunam, securitatem in aggressibus temerarijs, aut aliquid huiusmodi.

Tametsi omnis Missa sit officium publicum, & ad totam pertineat Ecclesiam, nemini tamen vetandum est sua deuotione priuatim vti, & quod publicum est celebrare pro Ecclesia non publicè, modo cum grauitate omnia exequatur, & orationes ac lectiones sacras, clarè & disertè pronunciet, vt possit à circumstantibus audiri atq; intelligi, & habeat (secundum sacrorum Canonum sanctiones) præsentes, qui Ecclesiæ nomine respondeant, vt verba quæ dicuntur, congruant etiam rebus ipsis. Curent etiam Episcopi, vt ignoti Sacerdotes, & qui publicis criminibus infames sunt, aut solum quæstum sectantur, ad celebrationem Sacri huius non admittantur.

Not. Cum iubeant Canones Ecclesiastici vitalem hostiam seruari, vt semper habeatur parata pro infirmis, quibus viatico illo opus fuerit, fides & religio nostra prorsus exigit, vt in loco seruetur honorato, cum perpetuo lumine, quo admoneamur eo loco præsentem esse illum, qui lucem habitat inaccessibilem, quicq; tenebras nostras illuminat.

Quando in solennibus Festiuitatibus ad amplificandum cultum diuinum, aut in magnis supplicationibus ad corda fidelium compungenda, circumfertur hostia illa salutaris, omnes ludi prophani, & quicquid non valet ad veram deuotionem excitandam remoueatur, nec deferatur Sacramentum extra Ecclesiam, nisi graues causæ postulent, & sint qui digno illud honore, tanquàm uerè præsentem Christum prosequantur atque adorent. Sed & quando ad infirmos defertur, præferri debet lumen, & Campanella, ad dandum fidelibus signum, pulsari.

DE SACRAMENTI POENITENTIAE ADMINISTRATIONE.

Infinitam

INfinitam peccandi licentiam Confessionis Sacramentalis neglectum consequi piorum omnium uox est, & negari non potest. Quamobrem decernendum, quod & ab Ecclesia salubriter institutum est, & à Patribus diligenter obseruatum, ut quotquot Christiani nominis sunt homines, saltem in anno semel peccata sua Sacerdoti confiteantur, quod si recusent facere, ab Ecclesia protinus eijciantur: Etenim ut sæpe confiteantur ñ, qui sæpius peccant, propria ipsorum salus efflagitat, eximiaçq; cuiusdam pietatis est, peccata statim ut commissa sunt, lugere, confiteri, dignaçq; satisfactione mortificare.

Veteres rigidiori disciplina satisfactionem publicam exigebant. De quo Canones pœnitentiales adhuc extant: Verum ad seueras illas publicæ Pœnitentiæ leges desperamus, fide & charitate admodum languentem populum, hoc tempore posse reduci: Ergo quando hoc non datur, consuetudini posterioris ætatis insistendū est, quæ obtinuit, ut confessis pro Satisfactione iniungerentur orationes, eleemosynæ, ieiunia, & id genus opera pietatis, quibus scripturæ diuinæ testantur, pœnam peccatis debitam dimitti. Nonnunquàm grauiores imponuntur, sed occultæ afflictiones, ad satisfaciendum, secundum pœnitentis facultatem, & peccatorum magnitudinem.

Quare prudentes oportet esse Confessores, qui norint distinguere lepram à lepra, & ita de peccatis inquirent, ne scandalizent pusillos, ita Satisfactiones iniungant, ut sint simul & medicinales, quibus animæ morbus curetur.

Quo vero quàm minimum retrahantur homines à Confessione, videtur nobis hoc tempore profecto expedire, ut confiteri uolentes non ad vnum solum cogantur, sed ut pluribus (idoneis tamen) Sacerdotibus, fiat absoluedi potestas, etiam in casibus reseruatis, quos adire sit omnibus liberum. Idçq; pro arbitrio Episcopi, & Ordinarij loci.

D ñ DE

FORMULA
DE VNCTIONIS EX-
tremæ administratione.

PRO more, quem hactenus tota seruauit Ecclesia Sacramentum vnctionis supremæ fidelibus impartendum est cum Letanijs & orationibus, huic negotio congruentibus, quales sunt illæ, quas à Maioribus acceptas, tota Ecclesia seruat. Studebitq; Sacerdos infirmum consolari, atque à curis & desiderijs transeuntis huius uitæ ad spem salutis æternæ erigere, Diabolum & terrores eius non formidare, in Christi misericordiam, qui nouit figmentum nostrum, & tulit iniquitates nostras, pro quibus & mortem sustinuit, tota mente sperare ac fidere, atque ita confirmatum, cum benedictione Christo commendare. Nec abs re fuerit, ut rediens Sacerdos habeat oratiunculam ad comitantem multitudinem, qua infirmitatis humanæ admoneantur, & ut pro laborante in extremis studeant feruentius orare.

DE SACRAMENTI MA-
trimonij administratione.

QVI Matrimonio iungi affectant, debent doceri, ut sciant qua religione & fide nubatur in Christo, & clandestina illa, quæ carnaliter incitante sola Venere, præter Ecclesiæ Christi ritum contrahuntur, non esse religiosa, & Christianis digna Matrimonia, & quàmuis illa (ubi contrahentes fuerint personæ legitimæ) sint rata, ueraq; Matrimonia, non tamen ob id esse Deo grata, utpote gratia Sacramentali destituta, donec uitium suum emendent, & Ecclesiæ legibus subdantur. Ideo iungendi Matrimonio admoneri debent, ut Parentum & amicorum utantur consilio, exemploq; Thobiæ, ieiunijs, & orationibus sese præparent, ac commendent gratiæ Dei, qua quod reliquum est uitæ, deinceps peragendum erit. Nec enim possunt filij
Sancto-

Sanctorum (ut in sacris dicitur) ita coniungi, sicut Gentes quæ ignorant Deum.

Nec debet Sacerdos Sacramento huic alicubi, quàm in Ecclesia (quæ est proprius Sacramentorum locus) benedicere, nec admittere, seu coniungere quoslibet sibi oblatos, nisi quos post proclamationes, ut minimum tres, tribus diebus festis sibi succedentibus, ad populum in concione publicè factas, cognouerit nullis impedimentis irritos, quosq; examine factò, exploratum habeat, non cogi ad hanc copulam inuitos à Parentibus vel cognatis, sed animo eam libero appetere.

DE CEREMONIIS

Ecclesiasticis.

Cum Ceremoniæ sint pietatis incitamenta quædam, & Calimenta, quibus sublatis, ipsa quoque frigeat, languescat, atq; emoriatur pietas, nulla vnquam religio absq; Ceremoniis potuit constare, Idcirco Ceremonias Maioribus nostris, hominibus religiosissimis vsitatas, retinendas, reuocandasq; censemus: Non quidem propter speciem operum aut signorum externorum vim & meritum, sed quod ad varios pietatis vsus ualeant, Nec item, quod in ipsis fiducia salutis sit locanda, sed quia exercitia quædam sunt, quibus corpus simul cum mente ad Deum, seu cultum eius, attrahatur.

Sic secundum doctrinam Apostolicam orant Viri nudato, Foeminæ velato capite, & genua in terram figimus, corpus cum spiritu humiliantes, & tundimus pectus, quod malefactorum conscientia dolere debebat, & contineri.

Sic in terroribus ac periculis, in clamato nomine Christi, signamus nos signo Crucis, qua Diabolo in nos potestas imminuta ademptaq; est. Idem ituri dormitum propter timores nocturnos facimus, Et manè quoq; surgentes, quo tota die à malis protegatur hoc signo muniti, quin Tertuliano teste antiqui Christiani olim siue vestes induerent, siue deponerent, siue domo prodirent, siue

D iij aliud

FORMULA

aliud quid agerent, aut inceptarent, ad singulas actiones consignarunt se cruce. Non potest enim negligere pietas uera Christi signum, aut à cogitatione eius, quæ signo illo renouatur, esse ociosa. Sic cibum & potum sumebant, benedictione præcedente, memores illius Apostolici, Sanctificatur per verbum Dei & orationem.

Hinc & aqua, & Sal, & Herbae, & Agnus Paschalis, & fructus noui, aliaq; humanis vsibus necessaria (de quibus ad Adam, in quo peccauimus omnes, dictum est, Maledicta terra in opere tuo) benedicuntur & sacrantur in nomine Christi, per orationem qua petit Ecclesiae Minister Sacerdos, ut Deus illa ipsa ad sanctificationem, & salutis nostræ profectum, potentia & bonitate sua, contra aduersarias potestates, incantationes, Magias, fraudes, & machinationes inimici, qui nocere hominibus non desistit, nobis concedat valere: Et ualent utiq; fidelibus, ob benedictionem Sacerdotalem, per verbum Dei, & orationem, quæ alioqui nullam aduersus spiritales nequitias, & potestates inuisibiles, in se ipsis virtutem habebant, Atq; hinc adeò cum aspergimur Aqua benedicta, oramus mente & habitu, ut à peccatis amplius lauemur: cum salem sumimus exorcizatum, ut uitam nobis, & sermonem omnem concedat Deus habere sale conditum.

Cereos autem accendimus, in gloriam illius, qui lucem inhabitat inaccessibilem, & illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Sed & Sanctos luminibus veneramur, quos uiuere cum Christo in gloria, & in regione lucis prædicamus. At in fide defunctis cæteris, lucem ad sepulturam præferimus, orantes, ut lux perpetua luceat eis.

Thura incendimus significatione, quòd oportet orationes & desideria nostra sursum ad Deum, cum odore bonorum operum, ascendere.

Processionum alias lætas ducimus, in modum cœlestis cuiusdam exercitus ordine compositas, de Christi gloria & triumpho exultantes & canentes. Qua de causa crucis signum & vexilla in aëra sustollimus, ad significandum

dum aërae potestatis expugnationem. Alias agimus tristes & solliciti in tribulatione, quam peregrini hoc exilium peragrantes patimur, veniam peccatorum, & misericordiam pro uindicta, supplicantes.

Consecramus item Ecclesias, Altaria, calices, pallas, vestes Sacerdotales, campanas, aliaque Ecclesiae vasa, quae vsum eximuntur ciuilibus seu prophanis, & ministerio tantum Sacramentorum Christi aptantur ac mancipantur, ut sciamus in Ecclesia, non nisi sacris & diuinis rebus vacandum, gratia Dei illic, ceu numine quodam, praesente: Campanis uero ab operibus & negotiis secularibus, nos ad orationem, laudes Dei, & sacra Mysteria inuitari, cogitemusque e tanto vasorum apparatu, & tot consecrationibus, quanta reuerentia Sacrificium corporis & sanguinis Christi, a rebus prophanis sit secernendum, & dijudicandum.

De quibus omnibus debet populus sedulo ac frequenter doceri, ne Ceremonias religiosissime institutas, in abusum, aut superstitionem uertant, Sed ad pietatem exercendam, ipsis utantur, utque Processiones rebus secularibus ac vanis praecisis sint graues, ordinatae, honestae, ac Christiana religione dignae: Reprobi uero, & quibus studia ista pietatis valescunt, redarguantur.

DE DISCIPLINA CLERI.

Disciplinae iam pars bona tradita est in descriptione officiorum. Etenim ut suum quisque praestet officium, praecipua est disciplinae Regula, hoc tantum restat, ut vitia quaedam publica, quae emendationem, Concilij definitione non expectata, requirunt, retexamus.

Contra ordinem & dignitatem Cleri cum primis sunt luxus & auaritia, quas res etiam plebs execratione dignas in Clero ducit. Debet igitur Clerus a luxu prophano, fastuoso, carnali, prorsus esse alienus, & primum seruare decorum in habitu, & incessu. Sit habitus honestus & simplex,

F O R M V L A

simplex, non limbis, non scissuris comptus, mundus tamen, Superior vestis sit talaris, nec incedant Clerici cum multi famulitij strepitu, aut gladijs accincti terribiles, sed venerabiles, qui aliter se contemptibiles reddunt.

Mensa quoq; sit frugalis, nec lauta nimium, nec sumptuosa, Pomposus uero esculentorum apparatus, & exquisitæ ad luxum delitiæ, longus accubitus, & commessationes frequentes, detestandæ ac fugiendæ. Similiter infamis & sacris literis damnata ebrietas, & studium compotandi, atq; ad æquales haustus prouocandi, Cui Propheta væ imprecatur, Væ inquit, qui potentes estis ad potandum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem, Quin sacris Canonibus decretum est, tales ab officio & beneficio suspendere.

Porro quis ferendum putet? vt scortationi indulgeant, & adhæreant concubinis, qui sacrificij & orationis, ad quam debent perpetuò esse accincti, causa, coniugio etiam alioqui honesto & licito abstinent. Qui adhæret (inquit Apostolus) meretrici, vnum corpus cumea efficitur. Tolens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Quibus verbis significat Scortatores à Christo excidere. Tantam ergo indignitatem in Clero, magna pœnarum seueritate ueteres prosecuti sunt. Concilium Neocesariense, Niceno antiquius, statuit Presbyterum, qui vxorem duceret, ab ordine deponendū; Si fornicaretur autem, vel adulterium committeret, etiam extra Ecclesiam abiiciendum, & ad pœnitentiam inter Laicos agendam redigi debere. Vt autem non ferant hæc secula tantam seueritatem, & sit mitius agendum, Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus fornicationis, Adulterij, aut suspectæ familiaritatis conuictus, remota protinus concubina, primum non pœna pecuniaria, sed suspensione ab officio & beneficio secundum scandalum grauitatem plectendus est. Qui si facinus non emendet, & iterum conuincatur, plectetur seuerius. Vbi uero apparuerit eum effrenem & incorrigibilem factum, & nec pudore infamiæ retineri, nec pœnis abarceri à scelere, in modum

modum & equi muli, quibus non est intellectus, beneficio secundum Canones prorsus priuetur. Sed & concubinas, quæ posthac cum clericis cohabitare sibi permiserint, per excommunicationem ab Ecclesia & cœtu fidelium expellere oportet.

Et ne tantum dedecus Clericalem dignitatem amplius dehonestet, reuocandi omnino sunt in vsum Canones antiqui. Concilium Nicenum non permittit Episcopis, Sacerdotibus, Diaconis aut Subdiaconis habere domi sub introductam, seu extraneam fœminam, nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, aut tales quæ fugiant suspicionem. Concilium Carthaginense tertium cui Augustinus interfuit, extendit hunc Canonem etiam ad fratrum vel sororum filias. Sic & Canon à Siricio latus, nullas fœminas Clericis permittit cohabitare, nisi sanguinis necessitudine Clerico iunctas. Verum suspicionem non fugiunt iuuenulæ, formosæ, lasciuæ, cultæ, procaces, imperiosæ, ociosæ, impudentes, curiosæ. Si admittitur ergo quæ suspicionem fugiat, annosa, quæ annum quadragesimum superauerit, statæ formæ, verecunda, sobria, pudica, inculta, laboriosa, seuera, & quæ testimonio publico casta est vidua vel virgo senex, in ministerium domesticum assumi potest, & ne cum tali quidem familiaritas nimia est habenda.

DE PLVRALITATE

Beneficiorum.

Tollenda est etiam ex Clero omnis Symonia & ambitio. Ac quia sine graui Ecclesiarum detrimento accidere non solet, ut aliquis plura quàm unum (maximè si curata sint) beneficia occupet, solus enim per omnes Ecclesias, si munere suo rectè ac diligenter fungi uelit, nec officium persolvere, nec rebus earum necessariam curam impendere valet. Curandum est, ne quis plures quàm vnâ Metropolitanas, aut Cathedrales Ecclesias teneat,

E & ne

F O R M U L A

& ne Clerici singuli in posterum plura, quàm unum beneficia acquirant, atq; obtineant.

Sed quia tenuitas beneficiorum facit, ut cum eorum singula multis in locis Possessores suos alere, atq; sustentare nequeant, causam arripiant, cur plura beneficia coaceruent atque possideant. Archiepiscopi, aut certè Episcopi curent, ut per vnionem, aut per aliam quandam uiam, beneficiorum tenuior redditus ita augeantur, ut de singulis beneficijs singuli Possessores satis emolumentum pro munere atque dignitate quisque sua habere possint. Nam ut ambitionem plurium Beneficiorum cupiditatem, quæ malam omnino speciem habet, ex Ecclesia tollendam censemus, ita vicissim Ministris Ecclesiæ prospiciendum putamus, ut habeant, vnde commodè uiuere possint: Dignus enim est operarius mercede sua. Qua in re arbitramur eorum Beneficiorum, quibus cura animarum annexa est, cum primis rationem habendam esse.

In qua re hanc sequantur rationem Archiepiscopi atq; Episcopi, ut si census alicuius Ecclesiæ pro ueteri Præbendarum atque Beneficiorum numero, ad iusta Ministrorum emolumenta non sufficiat, beneficia quæ nullam Ecclesiarum necessariam functionem habent, illis uniantur, aut Præbendæ ac beneficia ad pauciores numerum redigantur, Donec è singulis Possessori cuique iusta emolumenta suppetere queant, ut causa non sit, cur unus non uno beneficio sit contentus.

Res enim ita constituenda est, ut non deserat quisque officium, propter quod datur beneficium, Sed in loco beneficii sui, resideat, ac Muneri Ecclesiastico, quod huic annexum est, ipse diligenter incumbat, & cogitet, quanti sit momenti uigilare pro animabus, & ab eis non discedere, pro quibus aliquando coram Tribunali Dei rationem redditurus sit: Intererit igitur non solum Ecclesiarum, sed etiam Possessorum, si plura beneficia curata iam obtineant, ut uno quod maluerint, eisq; ad iusta emolumenta sufficiat, retento, cætera intra annum sine ulla pensione resignent,

REFORMATIONIS.

nent. Sed si fortè de iure, quod se acquisiuisse putant, recedere nolint, imponatur necessitas eisdem, ut dispensationem sedis Apostolicæ: Ordinario loci exhibeant, ac si legitima fuerit dispensatio, relinquuntur illis beneficia, Ordinarius tamen loci iuxta constitutionem Gregorij Decimi, in Concilio Lugdunensi, quam etiam Tridentina Synodus innouauit, prouideat, etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem, vt cura animarum beneficijs illis annexa, non negligatur, nec beneficia ipsa debitis obsequijs fraudentur, Atq; vt hic ijs qui iam possident, & ius habent acquisitum indulgendum videtur, sub hac tamen cautione, quam Concilium Lugdunense præscribit, ita ne acquirendis beneficijs in posterum coaceruatio eorundem, atq; pluralitas, de qua vetus est querela, eaq; non iniusta, omnino debet vitari, Ac ne salubre institutum Curiales turbent, huc ut accedat auctoritas summi Pontificis, quàm primum impetrandum videtur.

Debent etiam, qui incorporatas habent cum Decimis, & censibus Ecclesias, quas uelint retinere, non nisi idoneos, atque à secularibus ac sordidis negocijs liberos Sacerdotes eis præficere, quibus de victu & vestitu honesto, & competentia iusta prospiciant, qua in re, si fuerint negligentes, aut auari, Episcopi erit pro suo officio, & remouere ineptos, & idoneis, de Ecclesiæ illius Decimis & iuribus quantum honestum est, decidere atq; assignare, aut reclamantia Collegia vel Monasteria suo iure, ob negligentia culpam, priuare: Dignus enim est operarius mercede sua, Et qui Euangelio seruit, de Euangelio debet viuere. Incumbit autem Parochis plus reliquis Canonicis & Sacerdotibus curæ & laboris.

Species alia cupiditatis est, si quæstum secularem aut lucrum turpè sectentur Clerici, & sint usurarij, negociatores, vel, caupones, que vitia omnes Canones in Clero damnant. Quin & scriptura dicit, Nemo militans Deo, implicet se negocijs secularibus, vt ei placeat cui se probauit.

anua

E ij

Proinde

FORMULA

Proinde nemo Clericorum amplius recipiat, quàm dederit accommodato, si pecuniam (inquit Concilium Carthaginense) pecuniam, si speciem, speciem eandem, quam dederit, accipiat, nec ultra, aut iustum pro ea precium: secus facientes, fceneratores sunt, ab officio & beneficio suspendendi, excommunicandi, & ad Ecclesiasticam sepulturam, secundum Canones, non admittendi.

Nec licet mercaturas Clerico exercere, vt emat quæ postea vendat, nec item cauponem agere, vt domum suam vertat in cœnopoliū, seu tabernam publicam. Nec sortilegijs, diuinationibus, aut etiam venationibus indulgere. Quæ omnia sacris Canonibus seueriter prohibita, sunt in Capitulis disciplinæ, in visitationibus, & quotiesprehenduntur per Episcopum, Archidiaconos, Decanos, & eorum Officiales punienda.

Sacerdotes item Nobilium & diuitum Ciuium seruitio, sine Episcopi consensu & auctoritate se non ita mancipent, vt seruiant in negotijs prophanis, & à cura Sacerdotali alienis.

DE DISCIPLINA populi.

POpulus præter obedientiam, quam Principibus & Magistratui ciuili debet, ad eam quoque quam Episcopis debet & Ecclesiæ Prælati, sine qua in disciplina contineri non potest, redigendus est. Quinetiam lex diuina exigit, vt obediant Præpositis suis, quorum est peruigilare, vt reddant rationem de animabus eorum, quo cum gaudio quod officij sui est, faciant, & non gementes. Debet ergo populus Clerum, Parochos, & illis Superiores Ordines venerari, eorum facta non temerè iudicare, nec aduersus Presbyteros suos contendere, aut duros vel refractarios se exhibere, sed morigeros & obsequentes, Ad Christum enim, cuius legatione funguntur, pertinet eorum tam contemptus quàm honor.

Diebus Dominicis & Festis conueniant populus ad diuina

uina, quæ in Ecclesia celebrantur Concionem sub silentio audiat, & memoriæ commendet, nec strepitu aut deambulatione, uel Concionatorem, uel auscultantes perturbet, Patres & Matres familiâs audita illic secum domum perferant, secundum quæ liberos & familiam instruant ad pietatem, doceant eos Deum, qui inspector est omnium actionum nostrarum, timere, eiq̃ salutem suam quotidie commendare, memoria retinere, ac frequenter recitare Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Præcepta Decalogi, & quicquid ad virtutem, bonosq̃ mores pertinet, Frequenter interesse diuinis, uerbum Dei attentè audire, orare, Clerum & Magistratum honorare, erga omnes, modestos ac placidos se gerere, malam societatem fugere, horrere à Blasphemijs, iuramentis, & execrationibus, non contendere, litigare, insolescere, nemini iniuriam irrogare, Senioribus cedere, increpationes & castigationes æquanimitè ferre, uera loqui, mendacia detestari.

Ceremonias quoq̃ pietatis Christianæ, quales supra descripsimus, & instituta Ecclesiastica, de Ieiunijs & abstinentia carniū, de Ferijs, de Processionibus, & id genus Ritibus, populus religiosè ac piè obseruet.

Libri contagiosi, de falsa Religione suspecti, & qui Luciano more cum Deo, cum Sanctis, cum Religione, & Sacris iocantur, trahuntq̃ ea in ludicra spectacula, populo curioso prohibendi. Neq̃ enim ad pietatem, & mores bonos faciunt. Similiter petulantes & obscenæ imagines, libidinum incitamenta cum multa foeditate ostendentes, uel ad ludibrium Religionis, aut ad certorum hominum infamiam effigiata, prohibeantur. Leget autem populus libros sacros, sanctos Patres, uitas Sanctorum, Historias præclarorum & fortium uirorum, & tales spectet imagines, quibus ad pietatem, uirtutem, studia honesta, Religionis & Reipublicæ amorem, accendatur.

Abstineatur ab ebrietate & comotationibus, quibus & naturæ vires eneruantur, & malis ingentibus sæpe da-

FORMULA

tur occasio, nec pateant œnopolia & Tabernæ diebus festis ante Sacrum in Ecclesia peractum, nisi peregrinis & infirmis. In transgressores Magistratus animaduertat, animaduertat quoque in seductores populi, qui noua dogmata ab Ecclesia non recepta, non verentur spargere, in sacrilegos, in periuros, Blasphemos, vsurarios, adulteros, & crimina publica quibus corrumpitur iuuentus, imò omnis ætas, & propter quæ Deus respublicas sæpè magnis cladibus afficit.

Principes seculares, & Magistratus Ciuiles non patrocinentur eis, qui in Clero & populo reformari detractant, Sed Episcopis & Prælati Ecclesiæ sint auxilio, eorumque decreta fideliter exequantur, & ordinem præscriptum cogant obseruare. Iurisdictionem quoque & libertatem, ac immunitatem Ecclesiasticam, Imperatorum legibus, & sacris Canonibus Episcopis & Clero tributam ac firmatam, tueantur, ipsisque conseruent. At hi qui Prælatos, Ecclesias, eorumque bona & prædia in fidem, tutelam ac protectionem suam recepere, & contra fidem datam præfectura seu protectione sua abusi, Ecclesijs quas tueri debebant, grauias & iniquas onera: ausi fuerunt imponere, æquum est, vt præfectura seu tutela, per Cæsareæ Maiestatis Commissarios amoueantur, Eis autem qui abusi non sunt, limites & ius præscribantur, vt aperte constet, quid alteri alteris inuicem.

DE VISITATIONE.

VT visitent Episcopi suas Dioeceses, non nupera est inuentio, aut à Patribus primum introducta. Sed hic mos ab Apostolis descendit. In Actis scribit Lucas Paulum circumambulasse regiones, in quibus prædicauerat verbum Dei, vt videret, quomodo se haberent fratres, & vt confirmaret eos in fide, Traditiones Apostolorum, & seniorum eis præciperet custodiendas, quæ ferè omnia sunt, quæ ad visitationem pertinent.

Debet

Debet igitur Episcopus, si non iuxta Toletani Consilij decretum, quotannis propter latitudinem prouinciæ, Saltem quarto aut quinto quoque Anno totam Dicecesim suam, per se, uel suum in Pontificalibus Vicarium circumire, ac uisitare, & inter uisitandum pueros Baptizatos, Confirmationis Sacramento signare. Archidiaconi uero, seu Chorepiscopi, & Decani rurales, Territorij, seu regiunculæ suæ Ecclesias, singulis quibusq; annis uisitare debent. Ad hoc enim negocium in partem sollicitudinis Episcopalis uocati sunt.

A uisitatione Episcopali, nulla Ecclesia sit exempta, sed à Cathedrali ad Collegia, à Collegijs ad Monasteria, nisi proprium habeant uisitatorem, A Monasterijs ad Ecclesias Parochiales, ab his, ad Oratoria, Hospitalia, Scholas, & Bibliothecas transeat, in quibus præcipua sit cura Episcopo, ut primum Cleri uicia, deinde populi eradicet, ne qua radix amaritudinis sursum crescat, per quam inquinentur multi, Siquidem neglecta uisitatione Religio omnis corruit, & robur acquirit impietas.

In locis uisitandis, deligantur imprimis uiri probi, boni nominis, & fide digni quatuor, quinque, aut plures, secundum Cleri, & plebis subiectorumq; pagorum multitudinem, quibus conuersatio Cleri & populi, fama quoque vulgaris sit nota, qui & obstringantur iuramento ad dicendum liberè, audacter & securè, ira, odio, amore & affectibus prauis remotis, ea de quibus est uisitator pro emendatione & correctione malorum percontaturus, At leues Delatores, nisi probent quæ deferunt, non audiantur.

Procedendum autem in inquisitione à capitibus ad membra inferiora, à Decanis ad Canonicos, Vicarios, & Ministros infimos, ab Abbatibus ad procuratores, & Monachos, à Parochis ad Sacerdotes, Aediles, & Ostiarios, Deinde ad Laicos reliquos, inquirendumq; in Collegijs & Monasterijs, utrum Canones & regulæ obseruentur, Vtrum seruetur frequenter Capitulum disciplinæ, & qua seueritate, an corrigantur illic vitia quotidie subnascentia, an reueren-

F O R M V L A

reuerenter & debitè seruetur cultus diuinus, an satisfaciant Maiores & Minores suo quisque officio, secundum ea quæ supra exposita sunt. An sint vlli Concubinarij, Adulteri, ebriosi, criminosi, infames, aut suspecti de hæresi, vel alijs malis. Externa, qualis est habitus & tonsura, ædificiorumq; & Bibliothecæ status inspici debent, De prædiorum, censuum & Iurium conseruatione inquirendum, Sed specialiter in Parochijs, num intrusus sit Parochus, & quo titulo regat, an constat de ordinatione, Vtrum sit Mercenarius, an rectè administret Sacramenta, an extorqueat pecunias pro administratione. Item de doctrina, de honestate uitæ, & familiæ eius, & an boni Parochi munere in omnibus perfungatur. Sic de Aedilibus, de Sacristis seu Custodibus, num ornamenta, vestes, sacrae reliquiæ, uasa aurea & argentea, ædificia, census, prædia benè conseruentur. Diligentissime vero inuestigandum, num deliteat in Parochia Hæreticus aut Schismaticus ullus, num Hæresis aliqua occultis conuenticulis disseminetur, an sint, qui curiosius de fidei Misterijs disputent, & simplicibus inijciant scrupulos: Item de obseruantia ieiuniorum, Processionum, Dierum festorum, & Rituum Ecclesiasticorum, de Superstitionibus, maleficijs, Blasphemijs, periurijs, adulterijs, stupris, incestibus, odijs, dissidijs, rebellionem & contemptu Ecclesiasticæ & ciuilibus potestatis, & ijs criminibus, quibus locus, qui usitatur, solet diffamari.

Inquisitione facta, quæ rectè se habent, laudabit, quæ malè, castigabit & corriget. Intrusos Parochos, vagos Sacerdotes, quibus nulla certa functio est, & Monachos fugitiuos extrudet atque eijciet. Quæ emendari per ipsum nequeunt, referet ad Synodum Episcopalem, ut illic de huiusmodi rebus, secundum Canones Ecclesiasticos statuatur.

In castigatione tamen sit prudens & circumspectus, Visitator, ne occulta prodat, Sed quæ occulta sunt, clam etiam & occultè puniat ac sanare curet. Manifesta uero publicè arguat, vocatisq; secundum Lateranensem Concilij sanctionem

sanctiones, accusatis, non primum mulctam ab eis exigat (vt haectenus) pecuniariam, sed poenitentiam Canonicam, & publicam, quantum eius fieri potest, imponat, sic videlicet, vt peccatum humiliter agnoscentibus, veniamq; poenitentibus, & pollicentibus emendationem, poenitentiam salutarem, in aedificationem aliorum, ad certum tempus pro magnitudine delicti imponat. Contumaces uero, & manifesta sua crimina agnoscere, & poenitentiam suscipere recusantes, si Clerici sint, a ministerio & beneficio eos removeat, aut etiam pro criminis magnitudine excommunicet. Laicos extra communionem Sacramentorum, & consortium hominum locet, ab omnibus vitandos, donec ad cor reuertantur, & crimina sua agnoscentes, poenitentiae remedia suscipiant.

Postea Visitator, omnes in vniuersum moneat, vt non solum qui publice peccarunt, sed etiam quorum conscientiae occulto peccatorum reatu tenentur obstrictae, ipsi aut eis quos in comitatu socios & cooperatores habet, priuatum confiteantur, vt potestate a Deo Episcopis data, absolui a vinculis suis mereantur, & secretius poenitentia salutari imposta satisfacere.

Ad hanc formam visitent quoque, & inquirent, ac poenitentiam iniungant Archidiaconi & Decani rurales in suis regiunculis, grauiora vero, & quae per ipsos emendari nequeunt, referant, vti supra dictum est, ad Episcopum, & Synodum Episcopalem, publico iudicio submittenda, eorum enim visitationes paruae quaedam & particulares sunt Synodi, Synodo maiori subiectae, & secundum eius iudicium dirigendae.

DE SYNODIS.

F Salus

F O R M U L A

Salus Ecclesiae, terror hostium eius, & fidei Catholicæ stabilimentum sunt Synodi, in quibus potissimum eminet Episcopalis apicis auctoritas. Quapropter Apostoli, & post Apostolos, magna illa Concilia, Calcedonense & Lateranense statuerunt, vt Episcoporum comprouincialium Synodus quotannis bis celebraretur. Quod cum in Germanijs, propter prouinciarum latitudinem, fieri sit difficile, saltem Diocesanam Synodum bis quotannis celebrare est necesse, in qua Archidiaconis, Abbatibus, Prelatis, Decanis, Presbyteris, Parochis & Clero suo, Episcopus Synodi caput præsideat, quem à Synodo abesse non licet. Nisi insuperabilis impotentia adimat ei facultatem, Concilium vero Prouinciale statuerunt Patres Consilij Basiliensis, ad minus de triennio in triennium debere celebrari.

Primo Synodi die, præsentibus, qui ei intererunt, inuocetur Spiritus sanctus. Deinde Episcopus, aut alius quispiam, cui ille hoc negocij imposuerit, adhortetur omnes ad promouendum studium pietatis, & Ecclesiasticam disciplinam, ac correctionem viciorum emergentium, Post exhortationem legantur nouissimi Concilij generalis, uel prouincialis nondum publicata decreta.

Deinde eiectis ad publicationem Synodi vsq; Laicis, & Clericis minorum Ordinum, & eis quæ ad Secreta Synodi consilia non pertinent, intromissis illis tantum, qui in confessum Synodalem recipiuntur, & Sacerdotibus ac dignioribus è Clero causam Episcopus exponat, aut alteri exponendam imponat, ob quam Synodus sit coacta, iubeatq; singulos per iuramentum, Notarijs qui omnia excipiant, assidentibus, proferre in medium Ecclesiarum suarum, Prælatorum quoq; & populi, siue præsentium, siue absentium vicia grauia, quæ à Synodo corrigantur, absq;

vllō

ullo personæ respectu, si sit Pastor aliquis non legitimus, aut per uim intrusus. Si negligens officij & incorrigibilis: Si in Clero quis Symoniacus, si hæreses suppullulent, si in officia diuina irrepant abusus. Si Prælati aut Parocho benè præsidenti rebelles sint inferiores, si ulli malè præsideant: Si per tyrannidem potentiorum, aut iudicia iniusta opprimatur Ecclesia, populus, viduæ, vel orphani. Si sacrilegia committantur, si uiolentur Ecclesiæ iura, si usurarij sint in Clero uel populo, si incestuosi, si enormia crimina admittantur, à quibus nolint desistere, aut agere pœnitentiam.

Audiantur quoq; appellationes eorum, qui ad Synodum prouocarunt, & absentium legantur Epistolæ. Deniq; & Laicis fiat potestas suas quærelas, modo res Ecclesiasticas concernant, aut ad iudicium Synodi pertineant, proponendi in scriptis, aut per Sacerdotem uel Advocatum aliquem. Aut si uiri sunt digni, intromitti possunt, & audiri præsentibus, non una tantum sessione, aut die vno, sed duobus, tribus quatuorue, aut quinque, Donec fuerit Synodus de causis sufficienter informata.

Perceptis vicijs & querelis, consultandum inter Synodales communiter & priuatim, qua ratione arbitrentur audita incommoda emendari posse, & tolli. Ad quæ consilia etiam Theologi & Iurisperiti, si res postulat, adhibeantur, & nemo discedat, donec causæ omnes finiantur, dimittaturq; Synodus.

Vbi de executione eorum, quæ Synodi pars potior probabit, fuerit constitutum, pulsatis campanis ad publicationem admittantur omnes, renouenturq; Canones ad correctionem viciorum, de quibus tractatum fuit, & eorum

F ij extirpa-

FORMULA

extirpationem valentes, aut etiam noui, pro disciplinae Ecclesiasticae ac pietatis restitutione condantur, Si quid non finiatur, reijciatur ad Synodum prouincialem, illic discutiendum & definiendum, rogeturque Metropolitanus, vt quamprimum fieri conueniet, Concilium prouinciale indicat.

Peractis omnibus cantetur Te Deum laudamus, dimittanturque Clerus & populus cum benedictione Episcopali.

DE EXCOMMUN- ICATIONE.

Cum excommunicandi potestas in hoc à Christo Ecclesiae tradita sit, vt impij, scelerati, contumaces, rebelles & incorrigibiles, ab Ecclesia, à Sacramentis & communione fidelium pellantur, tradanturque Satanæ in interitum carnis, donec suffusi pudore resipiscant, & abnegata impietate, digna poenitentia pro flagitijs suis Ecclesiae satisfaciant, eiusque se iudicio submittant, summopere Christianis veris metuenda est, nec leuiter in aliquem stringenda.

Cauebit ergo Iudex, ne ob alias causas, quam criminales, easque valde graues ac letales, magno cum iudicio, diuinam hanc mensuram, qua nulla est maior in Ecclesia, proferat in eos, qui aliter corrigi non possunt, sic tamen, vt feriendo magis sanet, quam vt prorsus interimat, atque vt Spiritus saluetur in die Domini, In causis verò merè civilibus, iuris ciuilibus dispositiones obseruentur.

Excommu-

REFORMATIONIS.

21

Excommunicati secundum sacros Canones & scripturas, sub grauis reatus incurfu, ab omnibus vitari debent, & à nemine recipi in consortium vel familiaritatem, nec ante ad Sacramenta & communionem fidelium admitti, aut absolui, quàm pœnitentia ducti, veniam supplices postulent, spondeantq; emendationem, & non modo Ecclesiæ digna pœnitentia pro perpetratis sceleribus, secundum Sacerdotis iudicium, satisfaciant, verum etiam illis, quibus iniuriam intulere.

FORMVLAE RE-
formationis.

FINIS.



FORMULAE RE-

formationis.


FINIS.

[Hi Bl. 78 verso]



Christo Auspice
PLVS VLTRA.






ab
bis
/



Ji 3876 6

4°

(x277 2528)



FORMVLA RE= FORMATIONIS PER CAESAREAM MAIESTATEM

*Statibus Ecclesiasticis in Comitibus Augustanis ad deliberandum proposita, & ab eisdem, ut paci publicae consulerent, & per eam Ecclesiarum, ac Cleri sui utilitati commodius provide-
rent, probata & recepta.*



Christo Auspice,
PLVS VLTRE.



Cum Gratia & Præuilegio Imperiali.

MOGUNTIAE;
Excudebat IVO SCHOEFER.

